

riis. *b* Huiusmodi autem necessitas alterutrius, vt dixi, contradictorij sub disunctione, non tollit contingentiam (si qua aliunde est) vtriusque seorsim; quia scilicet non propterea est absoluta necessitas, vt seorsim istud sit, vel seorsim illud non sit; siue ex opposito vt seorsim istud non sit, aut seorsim illud sit: sed tantum est necessitas ex hypothesi; quatenus si ponas vnum esse, necesse est vt ponas alterum non esse, & è conuerso; alioqui aut poneret simul vtrunque contra primum axioma; aut poneret neutrum, contra secundum axioma.

Præterea *i* quodlibet ita necessario (iuxta iam dicta) est vel non est sub disunctione pro instanti siue præterito, siue præsentis, siue futuro; vt tamen non sub confusione, & indistinctione sit vel non sit illis ipsis instantibus; sed determinate ac distincte illis ipsis instantibus vnum sit, illud nimirum quod actu & de facto est; ac determinate, distincteque alterum non sit, illud nimirum quod actu & de facto non est (quod pariter valet in præterito ac futuro, sicut in præsentis) & ratio est quia in præsentis quidem, vt patet, existentia alterutrius contradictorij non relinquatur sub indeterminatione & confusione; quatenus ex dictis non se compatiuntur *est & non est*, item, *neque est, neque non est*: compaterentur autem, vt patet, si in confuso & indeterminate idem pro eodem instanti præsentis esset & non esset, aut neque esset neque non esset; sic enim, vt euidentis est, sub ea confusione non se excluderent: essetque status aliquis medius inter *est & non est*; item inter *neque est, neque non est*; quod ex prædictis axiomatis repugnat euidenter. Imo quia (vt antea dixi, & magis dicam in phisicis, cum de tempore) instans quodlibet præteritum aliquando fuit præsens: & futurum erit quandoque pariter præsens: hinc sequitur de præterito tam distincte ac determinate vnum è contradictoriis fuisse, & alterum non fuisse pro eodem instanti: item de futuro tam distincte ac determinate vnum futurum esse & alterum non esse futurum pro eodem instanti: quam distincte ac determinate de præsentis vnum est, alterum non est.

Quia *k* vero ex eo quod res est vel non est, propositio vera, vel falsa est: & quidem, vt manifestum est, tali modo vera vel tali modo falsa; pro vt res tali modo est vel tali modo non est: consequenter ex eo quod (iuxta iam dicta num. præcedenti) quodlibet pro instanti siue præterito, siue præsentis, siue futuro, distincte ac determinate est, vel distincte ac determinate non est: seu (quod in idem recidit) ex eo quod vnum è contradictoriis determinate est, & alterum determinate non est: consequenter, inquam, è duabus propositionibus contradictoriis tam de præterito ac de futuro, quam de præsentis, vna est determinate vera, & altera determinate falsa. Non equidem dico me seu quemuis alium hominem clare ac certo cognoscere quænam è duabus sit determinate vera, quænam determinate falsa: patet enim me nescire v.g. an Turca jam dum hæc scribo dormiat, an vero vigilet: item an heri hac ipsa, quæ nunc est, hora vigilaret dormire; & eodem modo sitne cras hora simili dormiturus an non. Sedenim cum sit euidentis meam hac de re necessitatem non tollere determinatam vnus propositionis veritatem, & alterius ex opposito determinatam falsitatem: sicut euidentis est non posse tollere determinatam vnus contradictorij existentiam in instanti pro quo affirmatur eius existentia: itemque non posse tollere determinatam oppositi non-existentiam in instanti pro quo eius negatur existentia: aut è contra ponere existentiam instanti pro quo negatur: vel ponere non-existentiam instanti pro quo affirmatur existentia. Inde est vt nunc dicam propositionem vnã è duabus contradictoriis tam de præterito & futuro, quam de præsentis esse determinate veram, & alteram esse determinate falsam: quamuis ego ignorem quænam sit vera, quænam sit falsa.

Igitur *m* in vniuersum, quæcunque sint propositiones contradictoriæ nempe tam de præterito ac de futuro, quam de præsentis; siue sint in materia necessaria siue sint in materia contingenti, perinde inquam omnes sunt determinate veræ, vel determinate falsæ, quamuis ego, vt dixi, nesciam quænam è duabus sit determinate vera, quænam determinate falsa. Et ratio est, quia duo contradictoria non magis compatiuntur se pro eodem instanti in materia contingenti; quam in materia necessaria; vnde non minus determinate est, vel determinate non est vnum contingens; quam determinate sit, vel determinate non sit vnum necessarium: & consequenter non minus vera determinate est vna, & falsa est determinate altera è duabus propositionibus contradictoriis in materia contingenti, quam in materia necessaria.

Et *n* quidem id euidentis est non solum à priori ex dictis; sed etiam facile comprobatur à posteriori, quatenus licet ego distincte, vt dixi, veritatem propositionis huius, & falsitatem alterius non agnoscam: Deus tamen id nouit distinctissime, quin & certissime. Vnde si forte ad hoc vt propositio dicatur determinate vera, requiris vt secundum quod talis est, cognoscatur distincte; habes quamlibet à supremo & infallibili intellectu cognosci distincte, vt talis vel talis est. Imo ex hoc ego certissima consequentia infero quamlibet esse determinate veram vel determinate falsam; alioqui circa eas falli posset & fallere intellectus infallibilis & necessario verax. *o* Aut si dicis non falli Deum quatenus, forte inquires, neque iudicat hanc esse falsam, neque iudicat illam esse veram; sed hæret anceps: ego certe infero Deum hoc modo

h Ea non tollit rei contingentiam, sed quæ est.

20
i Nihilominus necesse est vt instanti futuro aque ac presenti vel præterito res sit determinate vel non sit determinate.

21
k Igitur vna è duabus propositionibus contradictoriis determinate vera altera determinate falsa.
l Quamuis ego non norim quænam è duabus sit vera quænam falsa.

22
m Idque verum est etiam in materia contingenti de futuro.

23
n Probatum id ipsum infero à posteriori.

o Præcluditur effugium.